

Nicolaus Schütze

**Programma Quo Rector Academiae Rostochiensis Nicolaus Schütze/ I.U.D. &  
Prof. ac p.t. Iuridicae Facultatis Decanus ad piam & devotam Resurrectionis  
Christi meditationem Omnes omnium ordinum Cives Academicos sedulo invitat  
& exhortatur**

Rostochi[i]: Kilius, 1646

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734817037>

Druck    Freier  Zugang



R U Progr. 1645 + 1646

1) Johann Quistorp

2) " "

3) Heinr. Schüdemann

4) " "

5) Johann Quistorp

6) Schütze 1646 Bacchanal

7) " " " resurrectio



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734817037/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734817037/phys_0002)

DFG

7  
*Jpc*

PROGRAMMA  
Quo  
RECTOR  
ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS  
NICOLAUS Schütze / J.U.D.  
& Prof. ac p. t. Juridicæ Facultatis  
DECANUS  
*ad  
piam & devotam*  
RESURRECTIO-  
NIS CHRISTI

meditationem

*Omnis omnium ordinum Cives Academicos  
sedulo invitas & exhortatus*

•••(\*\*)•••

ROSTOCHI,

*Typis NICOLAI KILL. Acad: Typogr. Anno 1646.*

UO



**S**æpe vana pro veris, cum-  
maximè in bello valere, nemo op-  
eris ignorat. Inter alia vel principem  
locum simulatio victoriæ atque tri-  
umphii obtinet. Quæ tamen, si prudenter & suo  
loco adhibetur, inter bellii furtæ (sic Brasidas a-  
pud Thucydidem appositiè strategemata vocat)  
numeranda venit; secus, non tantum inutilis, ve-  
rum etiam inanis omnino & ridicula est. Nam,  
ut Comici verbis utar;

doli non sunt doli, nisi astu colas.

Exempla eorum qui victoriam ineptè simula-  
runt, apud auctores passim occurunt. De Cali-  
gula, pessimo illo optimi parentis filio, inter alia  
Suetonius: Conversus, ait, ad curam triumphi Ca-  
lligula, præter captivos & transfugas barbaros,  
Galliarum quoque procerissimum quemque, &  
(ut ipse dicebat) ἀξιοθέαμβενην, ac nonnullos ex  
principibus legit atque se posuit ad pompam:  
coagitque non tantum rutilare & summittere  
comam, sed & Germanicum sermonem addisse-  
re, & nomina barbarica ferre. Atque hoc exem-  
plio suo ridiculo ad similem insaniam Domitia-  
no

no illi Flaviæ gentis opprobrio, præivit. De quo  
prudentiæ magister Tacitus in vita Agricolæ so-  
ceri sui : derisui fuit nuper falsus è Germania tri-  
umphus, emtis per commercia, quorum habi-  
tus & crines in captivorum speciem formaren-  
tur, Cujus triumphi vanitatem etiam Plinius su-  
gillat in Panegyrico quem optimo Principum  
Trajano dixit. Nimirum hoc illud est, quod in  
libello de situ moribusque Germanorum saga-  
cissimus Corn. Tacitus scribit : Germanos à Ro-  
manis triumphatos magis, quam viatos fuisse.  
Triumphus autem, quem Rex regum, & Do-  
minus dominantium C H R I S T U S J E S U S, obstu-  
pescendum terris omnibus accœlis, è subjugato  
mortis atque dæmonum efferatissimorum impe-  
rio hodie egit, longè aliter sese habet Quippe in-  
fensissimi generis humani hostes à Conservatore  
nostro & triumphati verè & vioti sunt. Deplora-  
tæ, immo nullius esset fidei, itaque nec Christia-  
nus, & salute sua periclitaretur, immo crimen  
læsæmajestatis committeret, qui de triumphi hu-  
jus certitudine vel minimum dubitaret. Omnino  
fractum est caput Draconis : omnino Leviathan  
contritus : Behemoth immensu animal ac potens,  
omnino eversum : omnino mors quæ in omnem  
jam carnem regnum obtinebat, calcata & ejecta  
est, ut ex certa rerum fide admiratio procedat.

Nihil heic simulari aut fingi; nec triumphari in speciem, abunde & sacræ literæ & victi ipsi testantur. Fremit atque indignatur infernus: præda dicitur antiquus ille serpens, cum pestilentissima inferorum cohorte. Qui antehac universo terrarum orbi crucis ac tormenta, malum & mortem minabantur, nocere amplius nesciunt. Victoria, victoria! Vera, & sine exceptione victoria! Eant nunc & debacchantes dicant Judæi, aliquando se C H R I S T U M in crucem egisse: egerunt sane, sine consilio, sine prudentia, sine mente. Sed qui nunc frementibus ipsis & exsiliis suum frustra deplorantibus gloriofissimè triumphat. Jaçtent Romani illi rerum domini triumphos, quos ex hostibus suis victores egerunt. Vicerint Cimbros, sed vinci tunc faciles: vicerint Persas, sed superbos. Quod vitium plus saepè nocuit, quam hostium vires. At qualem & quantum pedibus conculcavit Sospitator noster tyrannum? tolle barbarum illum atque crudelissimum Agrigentinorum tyrannum, qui immannissimo tauro & accensis ignibus miseros mortales cruciasse dicitur. Tolle Busirida atrocissimum, qui hospites suos diis immolabat; Crudelior magis in nos saeviit non homo, sed juratus humani generis hostis Satanas, cui infando capiti debelando totus terrarū orbis non erat. Victoria quidem

dem ingenti labore constitit, verū quantum onus  
erat, quod certè maximum, unus tamen omne, &  
strenui militis & boni imperatoris officia simul e-  
xecutus, exantlavit Servator noster. Summum  
illud & magnificentissimum triumphi decus a-  
pud Romuli nepotes iis tantum olim concede-  
batur, qui hostium quinque millia una acie ceci-  
dissent, Romani imperii fines ampliassent, ac  
nonnisi cum publica Dictatoris aut Consulis aut  
Prætoris auctoritate res gessissent. Quod si ad  
humanæ prudentiæ leges divini triumphi merita  
ponderare nobis fas sit, cuius honoris ac trium-  
phi justiores unquam extitisse caussas dicemus!  
Victor æterni Patris æternus est filius, DEI pri-  
mogenitus, creator orbis, rex Israelis. Nec de-  
sunt mandati publici tabulæ, quas à Patre suo cœ-  
lesti accepit. Quin quod Principes tenebrarum  
hostes nostros, dæmonum crudelissimorum  
multitudinem infinitam confregit, fines populi  
DEI amplificavit, orbem universum Patris impe-  
rio subjecit, hominem DEO conciliavit, eumque  
amplissima atque æterna simul hereditate dona-  
vit. Triumphi maximum decus olim erat captus  
imperator hostiū Heic mors & Satanás, qui tunc  
rerum potiebantur, quorum ubique simulacra  
& aræ, ubique vexilla, tropæa, triumphales arcus  
fulgebant, vincti manus & pedes, exuti potestate

sua exitio suo parentant, quorū conditioni Christianorum ordo ignominiosè illudit: ubi mors aculeus tuus? ubi inferne victoria tua? Cæterum moris etiam fuisse legimus, ut triumphans secum in curru haberet filios & cognatos suos. Nos vero maxima pars triumphi CHRISTI sumus. Nempe salutis nostræ negocium in resurrectione demum confectum fuit. Frustra induisset humanam carnem, frustra passus fuisset & mortuus, nisi surrexisset etiam de morte, & nos omnes secum sublevasset in altum. Nam cum ille resurrexit, nec de nostra resurrectione quidquam dubitare possumus. Ille caput nostrum est, nos membra. Sequi autem membra necessè est, quò caput præivit. Spectacula triumphorum oblectabant eos duntaxat qui Romæ agebant; ex hoc universus Christianorum orbis habet, de quo æternum gaudeat. Olim imperatores curru sublimi magnificè exornato vèhebantur: Servator noster augustus nube vehitur. Illi ad Capitolium ducebantur; Nostrum aula cœlorum excipit. Illi tandem vita functi terræ mandabantur: Noster vero postquam semel mortem prostravit, sub pedibus & terram & sepulcrum suum oculis tuetur. Cæsar quinques triumphator dona militibus ac populo distribuebat: hic ab infernis potestatibus & morte nos vindicavit sibi ac redemit, chirographum

phum Diabolo erectum discerpsit, cœlum vero  
clausum hactenus ac obseratum aperuit. Summa-  
tim peccatum sustulit è mundo, peccatorem sustulit  
in cœlum. O gloriam, o benignitatem nullis verbis,  
nulla hominis oratione exprimendam!

Qui olim ad spectaculum confluxerant, omnes ve-  
lut in publica eaque lœtissima felicitate, cum gratu-  
latione & applausu pompam spectabant; nunc upatis  
denique in Capitolio votis gratiarum actionem Diis  
suissolemni ritu persolvebant. Agite igitur & vos, Ci-  
vies Academicci, cordium vestrorum capitolia aperi-  
te, excipite triumphantem Servatorem nostrum, &  
spectate oculis non corporis cum Thoma, verum fi-  
dei, qui sunt instrumenta vitæ, perspicilla seculi fu-  
turi. Animis, inquam, Triumphatori applaudite, ore  
acclamate IO TRIUMPHÆ! Hoc ipsi denegare im-  
pietatis esset insanæ; hoc vero illi concedere justi-  
tiæ est & gratitudinis sempiternæ. Videmus amorem  
Domini ac DEI nostri immensum, amorem sine mo-  
do, amorem sine fine. Alphonsus rex Hispaniarum  
symboli loco, Pelicanum fodientem rostro pectus  
& elicientem sanguinem ad pullos pascendos pin-  
gi curavit, addito epigrammate: PRO LEGE ET  
PRO GREGE. Pangamus etiam nos triun-  
phatori nostro divinissimo vexillum cum hac in-  
scriptione: VICT LEO DE TRIBU JUDA, ET  
CAP-

CAPTIVOS DUXIT HOSTES. ET VERO ET-  
IAMNUM REGNAT, VINCIT, TRIUMPHAT.  
Erigeantur olim columnæ & arcus triumphales.  
Agite & nos suspendamus aram memoriae, addito  
arcu triumphali, & in medio aræ hoc ~~epitaphio~~ inscribi  
mandemus: NUNC FACTAS ALIS ET CHRI-  
STO VIRTUS, ET REGNUM DEI NOSTRI ET  
POTESTAS CHRISTI EJUS: QUIA DEJECTUS  
EST ACCUSATOR FRATRUM NOSTRO-  
RUM, QUI ACCUSABAT EOS ANTE CON-  
SPECTUM NOSTRUM DIE AC NOCTE.

Verbis Poetæ

*Nunc agite castis turba docta honoribus*

*Mactate festivum diem.*

*Sacra immolate, & innocentes victimas*

*Lingua atque puri pectoris*

*Offerte CHRISTO, qui resurgens hoc die*

*Nos fecit olim surgere,*

*Et post caduci corporis creperas vices*

*Cælo potiri jugiter.*

Bonam, inquam, militiam militate, bonam consci-  
entiam retinete, coronamque vitæ reportate; quam  
ut reportetis, operæ premium est prius cum CHRI-  
STO Resurgere. CUM CHRISTO enim

RESURGERE VITA EST .P. P. Ro-

stoch. die Paschatos An, cīc Iōc

XLVI.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734817037/phys\\_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734817037/phys_0011)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734817037/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734817037/phys_0012)

DFG

te. Apostolus Paulus fidus Cl  
geminat abijciamus opera tem  
mur armis lucis , sicut in die ho  
non in commessestionibus Ebr  
bilibus E impudicitias, non in co  
latione. sed induimini dominum  
E carnis curam ne feceritis in  
nobis inculcat hinc inde Spi  
sacro codice. Quæro ex te  
stianus dici affectas, cui nam  
cujus monitis parere debeas  
no & Salvatori, qui te carè  
te sanctificavit, & Spiritu S.  
minibus , an diabolo hum  
infensissimo, carni in exitiu  
do concitato cursu in infern  
O impietatem omni sermon  
Deum vindicem justissimum  
omnis generis plagas, quib  
mania vastatur attraxit, quæ  
tentia seria averterimus, exit  
rietur. Usurpat Ecclesia his  
riam patientis Christi, sisti  
vincula conjectum , ad inju  
tractum, colaphis male tract  
tur patum, virgis cæsum , spi  
in crucem actum, clavis conf

ster in  
indua  
ulemus,  
n in cu  
T amu  
ristum,  
similia  
tus in  
s Chri  
ebere,  
Domi  
tui qui  
nis ho  
s hosti  
mun  
erant?  
! Quæ  
& quæ  
a Ger  
i pæni  
um so  
nemo  
lum in  
es per  
ito de  
atum,  
ta per  
ossum




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. [redacted]